

do quis ædificat in solo proprio & privato : & ita procedant jura superiora & communis opinio , & ita tenet & declarat Glossa ordinaria Bartol. Angel. & communiter DD. in dict. §. Merito, tenet etiam & declarat Alber. & alii DD. in dict. leg. Altius, Bartol. & communiter DD. in leg. Fluminum. §. final. ff. de Damno infecto, idem Bartol. in leg. Quonimus. ff. de Flumin. 2. column. Cæpol. in tractat. de Servit. urban. præd. in capit. de Solo, seu area. titul. 1. column. in fin. facit textus in dict. leg. 2. §. Quis à Principe, eodem titul. ne quis in loco publico, textus in leg. Ne avus. Cod. de Emanc. liber. text. in leg. Quoties. Cod. de Prætib. imper. offer. text. in leg. Si quando. Codic. de Inoffic. testament. text. in leg. Si finita. §. Si quis vitio. ff. de Damno infecto, ubi habet, quod beneficium Principis debet intelligi sine præjudicio tertii.

7 Nec huic sententiæ & conclusioni obstat secundò textus ille singularis & unicus, in leg. fin. §. fin. versic. Sancimus. Cod. de Servit. & aqua. ubi disponitur, quod non potest quis ædificare juxta fundum vel aream vicini, si ratione talis ædificii fieret ei præjudicium, quia impeditur aer vel ventus, ita ut non possit colligi fructus : quem textum ad hoc summè notat & commendat ibi Bartol. dicens fortè non esse alibi notant etiam & commendant ibi Jacob. Butr. Cin. Alber. Bald. Angel. Salycet. Paul. & communiter DD. & illum textum intelligit ibi Glossa finalis alia in leg. 2. ff. de Serv. rust. præd. in glos. 1. alia in leg. Cum eo. ff. de Serv. urb. præd. alia in leg. Imperatores eodem titul. illum textum ad hoc dicit singularem & unicum Ang. in dict. 1. Imperatores. ff. de Serv. urb. præd. illum text. ad hoc dicit unicum Imol. in leg. Si prius. ff. de Novi oper. nunc. fin. column. in fin. Alexand. ibi, 7. column. num. 34. & dicit singulare Cæpol. in tract. de Serv. urb. præd. in cap. 27. dicit mirabilem eo tract. capit. 40. column. 2. Quia ille text. debet intelligi, quando area vicini est parata gratia colligendorum fructuum, & non haberet ventum nisi per locum ubi alter ædificare vellet; quia tunc non potest, specialiter gratia colligendorum fructuum, & ex publica utilitate quæ in eis colligendis versatur : & ille est verissimus intellectus illius textus.

Ex quo eadem ratione infero apertè, quod talis dominus fundi vel soli poterit in domo sua vel in pariete suo de novo facere vel aperire fenestram, licet maximè tendat in præjudicium vicinorum, & per eam possit eorum secreta videre, ita in terminis Bald. Paul. & Salyc. in dicta leg. Altius. Codic. de Serv. & aqua. Imò, quod magis est, prædicta procedunt & sunt vera, etiamsi per mille annos & tempus immemorabile numquam ibi fuisset talis fenestra vel ædifi-

cium, sed de novo nunc incipiat fieri & ædificari : ista es Glossa singularis quæ sic debet intelligi in leg. Qui luminibus. ff. de Servit. urb. præd. in gloss. 1. in fine, & ibi tenent Bartol. Ang. Paul. Flor. & communis opinio DD. Glossa in leg. 1. Codic. de Serv. & aqua in glossa 1. in 1. lect. & ibi Cin. 2. column. 6. quest. & communiter DD. Glossa etiam de jure Canonico in cap. Abbate Sancti Sylvani, de Verbor. sign. in glossa 3. tenet etiam ad Specul. in titul. ad Publician. & de Servitutib. final. column. versic. Sed pone. Rosfred. in Libellis suis, in Rubric. de Actione confessoria, num. 29. Angel. de Aret. in §. Prædiorum, Instit. de Serv. rustic. prædior. tenet etiam Cæpol. ubi benè loquitur, in tract. de Servitut. lib. 1. cap. 20. column. 3. versicul. Factum quod requiritur, idem Cæpol. eodem lib. capit. 40. de Solo, seu area, idem Cæpol. eodem lib. cap. 62. cap. de Fenestra. Quod est verum, nisi illa volente ædificare vel fenestras aperire, vicinus eum prohibuerit, & tunc longum tempus, scilicet 10. annorum inter præsentés, vel 20. inter absentes, præterierit, quo præscripserit contra eum servitutem altiùs non tollendi, vel ædificandi : ita dicit Glossa & communis opinio in dict. leg. Qui luminibus. ff. de Servit. urb. præd. & latius dictum est suo loco in materia servitutem.

8 Adde tamen, quod ista communis opinio, quæ habet, quod potest dominus ædificare ad libitum suæ voluntatis, etiam in præjudicium vicini, debet intelligi, quando principaliter illud facit ad commodum & utilitatem suam, quod semper præsumitur; secùs verò si faceret duntaxat ad æmulationem, damnum, vel aliquam inhonestam causam, vel aliquod denique præjudicium vicini; quia tunc non poterit ædificare, imò, si jam ædificavit, cogitur tollere & demoliri actione de dolo : istam conclusionem & declarationem probat textus in leg. 1. §. Denique Marcellus. ff. de Aqua pluv. arcend. ubi dicit, quod quando quis in fundo suo aliquod opus facit, per quod avertat fontem vel aquam vicini; si illud facit ad utilitatem suam, & ut agrum suum meliorem reddat, licet potest facere : secùs tamen si tantum facit animo nocendi vicini; quia tunc potest prohiberi : ex quo textum colligit ibi Glossa & communis opinio regulam & doctrinam æquam & juridicam, quod nemo potest etiam in suo loco vel fundo aliquid facere, per quod alteri noceat, & sibi non prosit : pro qua regula & doctrina Glossa ibi allegat quàm plura jura. Secundò in specie pro ista conclusione facit textus in leg. 3. ff. de Oper. public. ubi dicit text. quod quilibet dominus potest quodlibet opus facere in proprio solo vel fundo, præterquam si faciat tantum ad æmulationem

nem vel damnum alterius : & ad hoc expressè notat ibi Alber. Tertio facit notabilis moralis text. in leg. Scire oportet. §. Sufficit. ff. de Execut. tutor. ubi dicitur, quod ubi in aliquo casu particulari deficit lex scripta, sufficit allegare naturalem rationem & justitiam; & ad hoc notat & commendat ibi Bald. post Cin. & Jacob. de Rainer. idem Bald. in leg. Cum antiquioribus, penult. column. post princip. Cod. de Jur. delib. & illum text. dicit notabilem Jas. in leg. Illam, Cod. de Collat. penultim. column. in princip. & ibi Philip. Dec. 1. column. num. 6. text. in leg. Cum ratio, in princip. ff. de Bon. damn. ibi: Cum ratio naturalis quasi lex quedam tacita, & ibi notat Alber. text. in leg. omic. §. 1. Cod. de Cad. toll. & ibi notat Bald. in princip. optimus in leg. 2. §. Item varus, in fin. ff. de Aqua pluv. arc. ibi: Hæc æquitas suggerit etiam si jure stricto deficiamus, & ibi ad hoc notant DD. & illum text. ad hoc dicit singular. Jas. in leg. Si servum. §. Sequitur, 1. column. numer. 4. ff. de Verbor. obligat. text. in leg. In fundo. ff. de Rei vind. text. in cap. fin. extra. de Transact. in fin. cujus verba sunt, in his vero super quibus jus non invenitur expressum, procedas æquitate servata semper in humaniorem causam, declinando, secundum quod personas, causas, loca & tempora postulare videris, text. in leg. Fidejussor conventus. §. Quædam. ff. Mandati, text. in dict. leg. Si servum. §. Sequitur. ff. de Verbor. obligat. text. in leg. Sicut. §. Si debitor. ff. Quibus mod. pign. vel hypotheca sol. text. in cap. Delicti, de Judic. & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Cin. post Pe. & Antiquos in dict. leg. Altius. Cod. de Serv. & aqua, & ibi Bald. Paul. Salycet. & communiter DD. præcipuè per text. in dict. leg. Opus. ff. de Ope. public. Paul. de Castr. in leg. Cum eod. ff. de Serv. urb. præd. dicens se respondisse de facto in Civitate Paduæ : tenet etiam notabiliter Roman. in leg. Fluminum, §. final. 1. column. de Damno infecto, dicens esse notabile, & refert ibi ita tenere Din. in distinctione qua notabili quàm fecit in materia, quam ipse Rom. refert : tenet etiam Jas. in leg. Quonimus, ff. de Flumin. 50. column. num. 23. tenet etiam Cæpol. in tract. de Serv. urb. præd. in cap. de Solo & area 2. column. versic. 3. fallit. idem Cæpol. in eodem tract. in cap. de Fenestra, 2. column. & ante omnes istam sententiam & conclusionem tenet Gloss. ordinaria in leg. Domani. ff. de Regul. jur. in glossa 1. in fin. alia in dict. leg. Fluminum, §. fin. in glos. penult. Licet contrarium teneat Alb. in dict. leg. Altius, Cod. de

Serv. & aqua, imò quod etiam ad æmulationem alterius potest dominus ædificare, & Ang. de Petrus. in dict. leg. Cum eodem, Cod. de Serv. urban. præd. Et idem posset dici, si dominus qui ædificat sentiret modicam utilitatem, vicinus verò sentiret maximum & grave damnum, ita solus Cæpol. in dict. cap. de Solo, seu area, 2. col. per quem vide fundamenta, & facit text. notabilis in leg. 1. §. Sunt autem qui putant. ff. Ne quid in flum. publ. ubi habetur, quod semper utilitas privata personæ præfertur modicæ utilitati publicæ : & ibi ad hoc notant & commendant communiter DD. de quo etiam dicitur infra proximè.

9 Advertendum tamen est, quod in isto casu potest considerari novum & subtile remedium scilicet quod eo casu, quando ædificium nocet Ecclesiæ, Monasterio, vel pio loco, possit compelli dominus ædificii vendere servitutem altiùs non tollendi, argumento text. quem ibi dicit singularem Alberic. in leg. Si quis sepulchrum. ff. de Relig. & sum. funer. (1) Secundò confirmatur per illud, quod in fortioribus terminis tenet ibi Guillelm. per illum text. scilicet, quod vicinus cogitur vendere fundum vel rem pro ædificanda vel amplianda Ecclesia vel Monasterio : tenet etiam & sequitur Cæpol. in dict. tract. de Servit. urb. præd. cap. fin. Socin. in Regula 435. de Regul. jur. 9. fallentia, ubi reparat utile & quotidianum : tenet etiam & commendat Jas. in leg. 2. ff. Solut. matr. 2. column. num. 4. Tertio confirmatur per text. in leg. univ. vers. Itaque, Cod. de Comm. serv. man. ubi socius cogitur vendere partem servi quam habet, si alter vult eum manumittere : per quem tenet ibi Bald. fin. column. quod si socius vult facere Ecclesiam in fundo communi, cogitur alter socius vendere suam partem : quod sequitur & valde commendat Jas. in leg. Nec emere, Cod. de Jure deliber. Quarto confirmatur per text. in leg. Si locus, versic. final. ff. Quædam ser. amitt. ubi disponitur, quod si via publica impetu fluminis, vel ruina, vel alio casu amissa sit, cogitur vicinus proximus viam præstare : & ad hoc ibi notant & commendant Othofred. Alberic. Bald. Angel. Paul. & Floren. tenet & etiam reputat quotidianam Cæpol. in tract. de Servit. urban. prædiorum, cap. 24. final. column. Quod tamen debet intelligi, præio dato ab ipsa republica, secundum Gloss. & DD. ibi, argumento text. in leg. 2. Codic. de Servit. qui pro præstatio libertatem accipiunt, licet contrarium de consuetudine servetur, ut dicit ibi prædicta Gloss. & communiter DD.

(1) Et vide Menerum in leg. Altius, num. 19. & 20. & Cod. de Servitutib. & aqua, non collidat

Quintò facit, quia Princeps potest alicui privato rem suam auferre ex causa publicæ utilitatis, soluto pretio: text. est in leg. *Item si verberatum*, §. 1. ff. de *Rei vindic.* text. in leg. *Lucius*, ff. de *Evict.* bonus text. in leg. *Venditor*. §. *Si constat*, ff. *Commun. præd.* & ibi DD. tradit Bartol. in *Proæmio*. *Digest. veter.* 3. column. Paul. & communiter DD. in leg. *final. Cod.* *Si contra jus vel util. publ.* & est communis opinio: pro qua est hodiè lex notabilis per text. in leg. 2. tit. 1. part. 2. Sextò facit text. in leg. *fin. §. fin. ff. de Pignor. actio*, ubi habetur, quod propter publicam utilitatem potest iudex vel officialis accipere res privatarum personarum, data mercede de publico, pro exequenda iustitia. Ex quo inferunt ibi DD. aliqua notabilia in practica.

Et certè legendo tetigi istum casum, & nunc similiter scribendo altiùs cogitavi, & semper mihi visus fuit difficilis. Sed pro veritate & concordia ego dicerem, quòd si utilitas & commodum, quod ipse dominus sentiret ex ædificio, esset longè majus, quàm damnum, quod resultaret ipsi Ecclesiæ vel pio loco, & possit constare iudicis officio & probatione habita, tunc dominus non teneatur vendere talem servitutem; si verò damnum quod Ecclesia vel pius locus sentiret, esset longè majus vel gravius, tunc teneretur dominus servitutem vendere: argumento prædictorum jurium, & in specie probat textus notabilis in proposito in leg. 1. §. *Sunt autem qui putant*, ff. *Ne quid in flumine publico*, ubi disponitur, quòd semper magna utilitas privata personæ præfertur modicæ utilitati publicæ: quem ad hoc notat & commendat ibi Angel. post Antiquos: Bartol. in leg. *Quominus*, ff. de *Flumin.* 5. column. 11. quest. Alexand. in leg. 1. *Solut. matrim.* 11. col. n. 46. & ibi Jas. 9. col. n. 39. facit text. in leg. *Quod respública*, ff. de *Injur.* & fortè istud idem esset dicendum, quando Ecclesia vel pius locus velit emere totam rem, pro ædificanda vel amplianda Ecclesia vel pio loco.

10 Ex quibus inferitur, quòd cum regulariter ædificia sint licita, & de jure gentium permessa, licet & justè potest quis ædificare & facere molendinum in flumine publico non navigabili sine licentia Principis, vel alterius superioris: quia hoc potest facere autoritate juris gentium, quo jure flumina, & eorum usus, sunt publica: ita probat text. in l. 1. ff. de *Fluminib.* ubi tantum in flumine publico navigabili vel quod faciat aliud navigabile, prohibetur quis ædificare: ergo licitum est in flumine non navigabili: idem etiam probat text. in leg. *Quominus eodem titul* ubi dicitur, quòd ex flumine publico non navigabili licet potest quis ducere

aquam: facit etiam text. in leg. *Riparum*, ff. de *Rerum divis.* text. in §. *Flumina*, Institut. de *Rerum divis.* text. in §. *Riparum*, eodem titul. & in leg. 12. titul. 28. part. 3. ubi habetur, quòd flumina, portus, & ripæ censentur publica. Sed in veritate illa jura non probant superiorem conclusionem; quia tantum dicunt, quòd sunt publica quoad usum navigandi, piscandi, & naves & funes in eis applicandi. Sed licet ista jura non probent; tamen per ea istam conclusionem tenet Bart. in leg. *Quominus*, ff. de *Flumin.* 2. col. num. 5. istam etiam conclusionem tenet Angel. de Perus. in leg. *Fluminum*, 2. column. num. 3. ff. de *Damn. infect.* Bald. in leg. *Item lapilli*, ff. de *Rerum divis.* 2. column. in fin. versic. *Item licet facio*. Cæpol. in tract. de *Servit. rustic. præd.* in cap. de *Fluminibus*, 1. col. in fin. idem Cæpol. in eo tract. in cap. de *Servit. aqueductus*, 13. col. post princip. Contrarium tamen tenet expressè Paul. de Castr. in dist. leg. *Fluminum*, 2. column. de *Damn. infect.* ubi dicit, quòd cum proprietas fluminis non sit communis ut fiat occupantis, nullo modo potest quis facere molendinum in flumine publico etiam non navigabili sine autoritate publica, nisi fieret supra aquam ex concatenatione, ut fit Romæ: quia usus aquæ est communis, ut in dist. leg. *Quominus*. Sed Jas. tangit istum articulum in dist. leg. *Quominus* in 7. column. num. 45. & dicit, quòd non recollitur illud dictum Paul. esse ab alio tactum, & quòd est passus utilis, & alicubi non discursus: sed tandem ipse tenet sententiam Bartol. per fundamenta, de quibus ibi per eum: & idem tenet ibi Ripa 8. column. num. 42. Quod intelligo verum, nisi Civitas vel Oppidum, per cujus territorium aqua fluit, haberet præscriptum per tempus immemorabile jus prohibendi, vel concedendi licentiam: argumento text. in leg. *Hoc jure*, §. *Ductus aquæ*, ff. de *Aqua quot. & æstiva*, text. in leg. 1. §. *fin. ff. de Aqua pluviali arc.* text. in leg. *pen. ff. de Prob.* text. in cap. 1. de *Præscript. lib. 6.*

Item addo, quòd hodiè in nostro regno videtur dispositum in supra dicta questione, quòd Civitas vel Oppidum illius territorii, ubi aqua fluit, possit concedere licentiam ad faciendum ibi molendinum, & sine ea non possit quis facere: & ita videtur disponere *lex 18. tit. fin. 3. part.* Sed tenendo superiorem conclusionem Bart. quæ est magis communis, respondeo, quòd illa lex particularis non obstat, quia loquitur quando aqua est in proprio loco vel fundo ipsius Civitatis, & sic aqua est ipsius Civitatis vel Oppidi, non verò est flumen publicum: sed nihilominus illa lex probat prædictam opinionem contra communem, quia loquitur quando quis facit molendinum in flumine quod est in terri-

torio Regis, vel Principis. Si verò flumen sit navigabile, non potest quis in eo ædificare vel facere molendinum sine licentia Principis, vel Civitatis non recognoscentis superiorem, in cujus territorio est; quia ejus censetur esse, ut in cap. 1. *quæ sint regalia in usibus*. Feud. vel nisi tanto tempore quis habuisset ibi molendinum, cujus memoria in contrarium non esset, argumento text. in leg. *In hoc jure*. §. *Ductus aquæ*, ff. de *qua quot. & æstiva cum simili*. & ita tenet Bart. in dist. leg. *Quominus*, 1. quest. numer. 3. pro qua sententia est cassus in leg. *Flumin.* ff. de *Damn. infect.* ubi dicitur, quòd in flumine publico licitum est cuilibet ædificare publice: & intelligunt ibi Gloss. Bartol. Angel. Imol. & communiter DD. publice, id est, publica autoritate habita à Principe, vel Senatu: facit text. in leg. *Quod Principis*, ff. de *Aqua pluviali*, argumento text. in leg. *Sin autem*. §. *fin. eod. tit. text. in leg. 1. §. Permittitur*, ff. de *Aqua quot. & æstiva*.

12 Hoc etiam præsupposito, quæro, si quis habet molendinum licitè factum in flumine non navigabili, vel in flumine navigabili de licentia Principis, vel ex immemorali præscriptione, an possit alius facere in eodem flumine aliud molendinum supra illud primum, vel infra illud, per quod notabile damnum inferat primo molendino, auferendo ab eo aquam, vel aquam retagnando, vel aliàs? Et ista questio est notabilis & quotidiana: In qua breviter & resolutivè dico, quòd non potest secundus alius molendinum facere, per quod inferat damnum primo; quia jus vel luctum primo licitè quæsitum de publico, non licet secundo auferre, argumento text. in leg. 2. §. *Merito* ff. *Ne quid in loco publico*, ubi ita demum permittitur alicui in loco publico aliquid facere, etiam in casu permissio, vel de Principis licentia, quando fieret sine alterius injuria; licet secus esset quando in solo privato & proprio quis ædificaret; quia potest alteri nocere, ut supra dictum est, quia habet majus & potentius jus argumento text. in leg. 2. §. *Si quis à Principe*, ff. *Ne quid in loco publico*, & text. notab. in l. 1. §. *Quod autem ait*, ff. *Ne quid in flumine publico*, ibi, dum dicit, *dum depressior vel altior fiat aqua*: text. in l. 1. §. *Sunt autem qui putant*, eod. tit. text. in leg. 1. §. *Ne natus*, ff. de *aqua pluviali arc.* Si verò primus non haberet licet, secundus verò sic; tunc secundus bene posset eum impedire, & quodlibet damnum inferre, ut in leg. 2. §. *Idem ait*, ff. *Ne quid in loco publico*, si verò uterque illicite facit, nullus potest impedire alium, licet damnum sibi inferant: ita probat text. in dist. leg. 2. §. *Idem ait*, ff. *Ne quid in loco publico*, text. in l. *Loci corpus*, §. *Competit*, ff. *Si servitus vindic.* & in

expressò istam & doctrinam & conclusionem tenet Gloss. ordinaria, licet sic non declarat, in dist. leg. *Quominus*, ff. de *Flumin.* in gloss. 1. in fin. & ibi notabiliter & magistraliter Bart. 2. column. in 1. 2. & 3. quest. princ. Alber. ibi in fin. Oldrad. & Din. quos ipse refert Rainer. ibi in fin. Angel. de Perus. 2. column. in med. Jas. 4. column. num. 20. Rip. 6. col. num. 30. istam etiam conclusionem tenent Cin. Alber. Bald. Angel. & Salyc. & communiter DD. in leg. *Si manifestè*, Cod. de *Servit. & aqua*, tenet etiam Gloss. uno verbo in leg. *Si quis ex argentariis*. §. *Si initium*, ff. de *Edendo*, & ibi notant Albert. Guillel. & Oldrad. quos ipse Alberic. refert, Bald. Angel. Alexand. & Jas. ibi, Bald. in Rubr. ff. de *Rerum divis.* 4. column. versic. *Quæro alterius*, idem Bald. latius in leg. *Item lapilli*, eod. tit. 2. col. in princip. versic. *Ex his colligitur*. Paul. & Floria. in leg. *Imperatores*, ff. de *Servit. rustic. prædio*, Bald. notabiliter in cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, extra, de *Electio*, 2. column. num. 4. Rofred. in *Libellis suis*, in Rubr. de *Interdict.* ne quid in flumine publico, penult. column. versic. *Sed illud queritur*, & ista est communis opinio; pro qua est hodiè in nostro regno expressa *lex part. 18. titul. fin. 3. part.*

Quam tamen communem opinionem notabiliter limita & intellige, quando aqua non sufficeret omnibus molendinis: secus tamen si bene sufficeret omnibus; nam tunc ille qui secundo loco ædificat non possit impediri, argumento text. in leg. *Lucio Titio*, ff. de *Aqua quot. & æstiva*, ubi habetur, quòd ille qui concessit servitutem aquæ ductus uni ex suo fonte, non prohibetur postea alteri concedere, si aqua sufficit omnibus, & primus non præten dit præjudicium: & ibi notant Bartol. & communiter DD. text. in leg. *Concedendo*, ff. de *Aqua pluviali arcend.* & ibi Bartol. & DD. text. in leg. 2. §. *Aquæ ductus*, ff. de *Servit. rustic. præd.* gloss. Paul. & communis opinio in leg. *Aquam*, Cod. de *Servit. & aqua*, lat. Cæpol. in tract. de *Servit. rustic. præd.* in cap. de *Servit. aquæ ductus*, & est *lex 5. titul. 31. part. 3.* & in expressò istam sententiam voluit Bartol. in dist. leg. *Quominus*, ff. de *Flumin.* 4. column. 5. quest. num. 12. & ibi Jas. 10. column. num. 59. Imò, in tantum hoc est verum, quòd si aqua sufficit omnibus, potest secundus ædificare molendinum; ut procedat etiam si domino primi molendini notabile commodum & luctum auferatur ex defectu concursus molentium; quia istud non est in consideratione, cum non sit damnum quod cohareat rei, hoc est molendino; sed tantum consistit in mera & absoluta facultate personarum, quæ ubi velint, possent ire ad molendinum, in quibus nulla erat facta præoccupatio, vel jus quæsitum,

sicut in aqua: ita singulariter. Bald. in leg. unie. Cod. de Sent. quæ pro eo quod inter. prop. 8. col. 13. oppos. num. 58. & in expresso vult Bartol. in dict. l. Quominus. ff. de Flumin. 5. col. quest. 11. in fin. per bona jura quæ allegat: tenet etiam ibi Jas. 15. column. num. 48. dicens esse diligenter notandum, quia est valde utile in practica, ubi aliqua in confirmationem adducit: Ripa ibi, 16. column. num. 82. tenet etiam & in fortioribus terminis Alberic. in leg. Si manifestè, Cod. de Servit. & aqua in fine, & in expresso ita determinat prædicta lex Partit. leg. 18. titul. fin. 3. part. in fine.

Ex quibus aperte & notabiliter infero, quod ille qui habuit primò molendinum vel supra vel infra, potest aquam continere vel reprimere tempore æstatis vel siccitatis, & facere recollectam aquæ alio quovis tempore, si hoc principaliter facit in utilitatem suam, licet in consequentiam damnum incurrat alteri; & ille alter qui secundo loco ædificavit molendinum, non poterit aliquid facere in aqua, per quod aliquid damnum inferatur primò: ita notat Bart. in dict. l. Quominus. ff. de Flumin. 14. quest. princ. num. 25. Adde tamen, quod si de prioritate aut posterioritate non constat, tunc potest quilibet facere quicquid vult, cum in pari causa potior eset conditio possidentis: ita Bartol. in dict. leg. Quominus, 14. quest. princ. in fin. num. 25. cum quo ibi transeat communiter DD. In quo unum bene nota, quod ex eo quod unum molendinum sit supra, aliud verò infra, non præsumitur magis pro uno, quam pro alio, quod sit prius factum: & hoc aperte colligitur ex superioribus: Sed contrarium expressè reperio quod tenet Bald. in leg. Si plures, Cod. de Condit. in ser. 2. column. num. 3. imò, quod illud molendinum quod prius reperitur in via fluminis, illud præsumitur prius factum: nam ita naturaliter currit aqua, ut fluat & currat à superiori ad inferius, ut patet ad sensum & visum oculorum, & est text. in leg. 1. §. penult. & fin. ff. de Aqua pluviæ arcend. unde per ordinem naturæ, seu per locum, ab ordine illud est præsumendum antèrius: & sequitur Jas. in dict. leg. Quominus, 11. column. num. 61. Confirmatur etiam ista consideratio per textum notabilem in 1. constit. Cod. §. Quibus, versic. Ita tamen, ubi probatur, quod prioritas scripturæ potest apparere ex ordine seu compositione ejus, ex eo quod una est in priori loco scripta: ex quo text. notat ibi Bald. 2. column. num. 5. quod si in Protocolo Notarii reperiantur plura instrumenta eodem die confecta, illud præsumatur prius celebratum, quod reperitur prius in ordine descriptum: facit etiam text. in leg. Si quis ex argentariis. §. Si initium. ff. de Edendo.

Viso quòd regulariter quis potest in suo ædificare, nunc dico, quòd aliquando in pluribus casibus quis non potest ædificare etiam in suo proprio fundo, solo, vel area: Et primò non potest quis ædificare in loco publico, ut platea, via publica, itinere publico, sine licentia Principis vel Civitatis, cujus est solum, locus, vel fundus: text. est in leg. 1. & in leg. 2. in princ. & per totam illam legem. ff. Ne quid in loco publico, text. in leg. 3. §. Planè, & §. Sed & si à Principe. ff. Quod vi aut clam. Imò, quod magis est, non potest quis ædificare in suo proprio solo vel fundo, ita ut aliquid habeat immissum vel protectum in loco publico, & ei aliquo modo noceat, text. est in dict. leg. 2. Cum quidam. ff. Ne quid in loco publico, text. in §. Idem Labeo, ejusdem leg. & ibi notant Bartol. Alberic. Angel. & DD. Antiq. & tenet notabiliter Paul. in leg. Altius, Cod. de Servit. & aqua in fin. & ibi expressè disponit lex 22. titul. fin. 3. part. & leg. 3. eodem titul.

13 Similiter non potest quis facere pontem supra viam publicam, licet habeat domos proprias ab utraque parte: ita probat text. in leg. 2. §. Tractatum. ff. Ne quid in loco publico, text. in leg. fin. ff. de Servitut. text. in l. fin. ff. de Flumin. per quæ jura tenet Specul. in titul. de Publiciana, & de Servitut. fin. column. versic. Item queritur. Bald. in l. Item lapilli. ff. de Rer. dic. penult. column. in fin. num. 8. tenet etiam Capol. in tractat. de Servit. urb. præd. in cap. de Ponticello. Et si de facto jam illud ædificium factum sit, quod noceat rei publicæ, debet iudex ex officio illud deponere & destruere: si verò nimis non noceret, non debet deponere, ne urbs deformetur ruinis; sed tantum imponet salarium, censum, vel annuam pensionem, solvendam reipublicæ: text. est notabilis in leg. 2. §. Si quis nemine. ff. Ne quid in loco publ. & ibi notat Angel. de Perus. & alii DD. & per eum ita tenet Paul. in leg. Fluminum. 2. column. de Damn. infect. & ibi alii DD. Hodie tamen in nostro regno poterit respublica sibi appropriare in totum illud ædificium, & perpetuò ab ædificante auferre: ista est notabilis lex part. leg. 23. tit. fin. 3. part. & si ædificaverit cum licentia Rectorum & Decurionum Civitatis vel municipii, non tenetur reddere, sed debet sibi imponi census correspondens loco vel fundo occupato, ita prag. 71. fol. 71. lib. Prag. unde si sine tali licentia ædificaret, servaretur superior conclusio. Ex quo inferitur aperte, quod iudices ex officio optime possunt & debent auferre & tollere ea quæ sunt immissa seu protecta super vias vel plateas publicas.

14 Tertio, non potest quis facere vel ædificare turrim, castrum, vel fortalitium, etiam in suo

proprio vel fundo, quando fit in limine, alii cujus regni: textus est notabilis in leg. 2. Cod. de Fundis limitrophis, lib. 1. l. qui probat isto modo: nam ibi disponitur, quòd nullus audeat habere vel tenere castrum in limine Imperii vel Regni, nisi tantum ille qui ad hoc reputatus & descriptus est, sub pœna mortis, & publicationis bonorum: ergo à fortiori non poterit de novo ibi castrum ædificare, & istam conclusionem per illum text. licet sic non inducat, tenet ibi Gloss. ordinaria in verb. Antiquitas, & ibi Bart. & Plat. tenet etiam Gloss. quæ non allegatur in leg. 3. ff. Ad legem Jul. majest. in verb. Tenuerit, & ibi expressè tenet & notat solus Ang. de Perus. (t) Alias autem in fundo vel solo proprio bene & licite potest quis castrum, turrim, vel fortalitium facere & ædificare, dum tantum non faciat ad æmulationem, scandalum, vel seditionem alterius: ita probat text. notabilis in leg. Per Provincias, Cod. de Edif. priv. ubi dicit text. quòd quilibet potest fundum vel ædificium suum murali ambitu valare: ergo potest facere castrum vel Fortalitium in eo, prout velit: & ad hoc illum textum notat ibi Gloss. ordinaria, Perus. Fab. in suo Breviario, notat ibi Alber. qui allegat Jac. de Aretin. & ita tenent Bald. Ang. & Salyc. (u) probat etiam text. in leg. Opus. ff. de Oper. public. cujus verba sunt, Opus novum privato etiam sine principis autoritate facere licet, præterquam si ad æmulationem alterius Civitatis pertineat, vel materiam seditionis præbeat, & ibi notant Bart. & Alexand. in Addit. & per ista jura tenet Innocent. in cap. Pisanis. de restitut. spol. fin. col. in princ. & ibi Abb. fin. col. num. 15. Cardin. fin. column. Anchar. fin. column. & communiter DD. tenet etiam Bart. in leg. Ex hoc jure. ff. de Justit. & jur. 13. col. num. 17. Bald. 4. column. 5. oppos. Ang. 2. column. num. 6. Jas. 2. column. num. 6. argumento illius text. in dict. leg. Ex hoc jure, ubi dicitur, quòd ædificia sunt permissa etiam de jure gentium. Hodie tamen in nostro regno indistinctè prohibetur facere castrum vel fortalitium sine Principis li-

centia: ut in leg. 7. tit. 7. lib. 4. Ordinationum, & in ista leg. 46. in l. Tauri ex quo inferret, quòd magnates, domini, vel alii non possunt ædificare castra vel fortalitia in suo territorio: imò nec domum habitationis fortem, sine Principis licentia: & ita expressè disponitur lib. Prag. fol. 60. in cap. Judicium. (x) Dubium tamen est circa hoc, an licet quis non possit de novo facere vel ædificare castrum vel fortalitium, possit illud quod jam factum est reficere vel reparare? Et videtur quòd non: & ita probat text. expressus in leg. Sacra loca. §. Muros. ff. de Rer. divo. ubi dicitur, quòd sicut non possunt fieri muri de novo in Civitate vel Oppido, sic nec refici: & ibi notant Alber. & DD. Antiqui, & tenet & notat Bart. in l. Opus. ff. de Oper. publ. & illum textum ad hoc dicit & notat Jas. in leg. Ex hoc jure. ff. de Justit. & jur. 30. col. in princ. probat etiam text. in leg. 1. vers. fin. ff. de Mortuo inferend. cujus verba sunt, ædificare autem, non solum qui novum opus molitur, intelligendus est, verum & quoque qui vult reficere: & ita hoc expressè determinat per istam nostram legem Taur. imò, quòd castrum vel fortalitium alii cujus magnatis, vel alterius private personæ, non possit refici vel reparari in contrarium tamen est textus clarus & expressus in leg. Intra urbem. in fin. Cod. de operibus public. cujus verba sunt, ea tamen instaurandi quæ etiam de formibus ruinis intercidisse dicuntur, universis licentiam damus: & ibi notat Salycet. & committit DD. text. in l. fin. eod. tit. & est lex 20. tit. fin. 3. part. & Prag. lib. Prag. fol. 60. fecit etiam text. in leg. Si quis ædificium. ff. de Oper. nov. nunt. ubi, licet quis possit nuntiare novum opus pro opere novo quòd sit, non tamen pro opere veteri, quòd reficitur: text. in leg. fin. vers. Illud, Cod. de Judais, ubi dicitur, quòd Judæi non possint de novo facere synagogam, tamen antiquam bene possunt reedificare: text. in cap. Consultis. extra. de Judais, ubi idem disponitur: text. in l. Hæreticus junctâ leg. Usur. fructuarius novum tectorium. ff. de Usufruct. text.

(t) Idem tenet Boerius decis. 320. numer. 6. Guido Papius singulari 176. Matienza in leg. 6. tit. 7. lib. 5. glos. 15. nam 9. præterquam non in hoc casu, sed in aliis casibus ubi dicitur, quòd non possint de novo facere castra, vel fortalitia. (u) Vide Aviles lib. cap. Prætorum cap. 22. glos. 15. Montaly. in Repertorio legum, ordinamentum, verb. Castrum, Didacum Perez. in leg. 1. tit. 7. lib. 4. Ordinationum col. 469. cum pluribus aliis relatis à Matienza in leg. 6. tit. 7. lib. 5. glos. 15. num. 7. Scandalosum ædificium quòd dicitur, docet Matienza in dict. l. 6. tit. 7. lib. 5. glos. 3. num. 8. ubi dicitur, quòd ædificandi modum à iudicibus vitandum docet ex doctrina Bald. in l. Item lapilli. Inst. de Rerum divisione. & Plat. in l. Sub Cod. de Metallis & opedimentis, lib. 12. Pet. Nuñ. de Avend. qui concordantes citat. 2. part. de Exsequend. mand. cap. 2. in principio plura etiam scandali vitandi causa prohibentur, ut videri poterit per Felin. in cap. Nihil cum scandalo de præscriptionib. & vide leg. 25. tit. ult. part. 3. & 3. (x) De quibus dicta sunt ad num. 5. ibi, Facere vel reedificare, supra hæc hæreticus junctâ leg. Usur. fructuarius novum tectorium. ff. de Usufruct. text.